

9
SPECIMEN THEOLOGICO-EXEGETICUM,

DE

CHRISTO

RESURRECTIONEM SUAM PRÆDICENTE,

QUOD

EX SPECIALI SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VENIA

ET CONS. VENERANDÆ FAC. THEOL. ABOËNS,

publico examini subjiciunt

Mag. JOHANNES BONSDORFF,

REG. ACAD. BIBLIOTHECARIUS,

ET

ARON WENELL,

Stipend. Reg. Wiburgensis.

In Ædib. Sch. Cathedr. d. XXVI. Octobr. MDCCCV.

H. a. m. f.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

9.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT OF THE PHYSICS DEPARTMENT

FOR THE YEAR 1955-1956

DEPARTMENT OF PHYSICS

CHICAGO, ILLINOIS

1956

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILLINOIS

1956

PHYSICS DEPARTMENT



Gloriosam Christi e mortuis resurrectionem, cetera, quibus orbem obstupescit, nimis quantum antecellere miracula, proindeque, in veritate Religionis nostræ vindicanda, tanto majoris esse momenti & ponderis, quo certius sit, omnem *fidem* nostram eadem esse superstructam, omnemque *Evangelii*, hæc basi sublata, perire dignitatem, concedant quotquot sunt, qui Christum salutis suæ agnoscunt auctorem. Perhibente namque Historia Evangelica, Salvatorem nostrum, tertia die postquam morti ignominiosæ ocebuisse insons, in vitam rediisse, Ipsumque, dum vitales adhuc carperet auras, non modo Discipulis suis, verum etjam adversariis, miraculosam hancce, omnibus signis quasi prævalentem, resurrectionem, plus una vice spiritu suo prædixisse prophético; gravius certe & illustrius legationis Christi Divinæ vix ac ne vix quidem excogitari pot-

erit testimonium, ac est illud, quod e completo hœce deducitur vaticinio: Unde nec mirum, Apostolos non minus, quam Ecclesiæ nostræ Theologos, veritatem hanc summa religione inculcare & defendere. — Nuperrime vero cum celeberrimus Herbipolitanus Theologus, PAULUS a), probabilem reddere studuerit conjecturam, Salvatoris, de *corporali* sua post tertiam diem resurrectione, in Evangeliiis commemorata Vaticinia, non nisi Evangelistarum tribuenda esse ingenio; concessa nobis a Sacra Reg. Majestate Specimen quoddam Theologicum edendi potestate haud quidem abusi videmur, si oraculorum Christi de sua post triduanam in sepulcro commorationem resurrectione, hisce pagellis surrexerimus vindices. Quo autem successu, Tuum erit, B. L., iudicium.

Negare non sustinemus, facilem Christo (si velut hominem tantum consideremus), ex immani, quod in Se & suam Doctrinam Proceres Judæorum conceperant odio, fuisse conjecturam, potentissimos hostes suos, quibuscum perpetuo luctandum erat, adversarios, omnibus viribus & artibus in perniciem Ejus incubituros, Christumque, non modo e carceris, quod Sibi Hierosolymis, festo Tabernaculorum imminuisset, quodque feliciter evaserat, periculo

(Joh.

a) In libro suo: Kommentar über das Neue Test.

(*Joh. VII. 32. seqq.*), verum etiam e detestabili, quod de Se capiendo & interficiendo, instigante Kai-pha, in antecessum fecisset Synedrium (*Joh. XI.*), decreto *b*), apertissimam colligendi habuisse causam, adeo infestos Sibi hostes nullo pacto, antequam sanguine Ejus sese saturassent, Semet persequendo destitutos. Neque refragabimur, si quis cum Rever. PAULO statueret velit, Salvatorem nostrum, quoties Hierosolymam ascendere in animum Sibi induxit *c*), sic instantibus rebus, vix aliam Sibi, quam qui tandem acciderat, rerum suarum & moliminum expectare potuisse exitum, indeque Ejus, de violenta Sibi impendente morte, origines trahere præfagia. Contendente vero Rever. Viro, Christum *definite* a-

A 2

deo,

b) Hocce Synedrii Decretum eo minus latere potuit Christum, quod plures Optimatum (Synedrii Ascesforum?) Sibi haberet faventes (*Joh. XII 42.*), Ipsumque, advariorum machinationes evitandi gratia, e Judæa in urbem Ephraim commigrasse dicat Johannes (*Ev. Cap. XI 54.*).

c) Veram rationem, cur Festis Hierosolymorum solemnioribus frequenter adeo interesse periclitaretur Christus, aliunde quam ex eo, quod in hisce Solemnibus, utpote ingenti, ex præscripto Legis Moisaicæ Exod. XXII. 17. coll. Deut XVI. 16., hominum cujusvis terrarum concursu celeberrimis, lætissima sese Christo obulerat populum, doctrina sua & beneficiis Sibi devinciendi spes, repetendam non esse, vel nobis non monentibus perspicuum est.

deo, ut narrant Evangelistæ, de resurrectione sua post tres dies loqui *non potuisse*, locaque Evangelistarum, quibus resurrectionem hancce a Seipso, sive obscurius & figurate *d)*, sive expressis verbis *e)* prædictam legimus, nihil tale, si quidem *ipsissima* Servatoris restituantur *verba*, involvere, sed potius Discipulorum & Evangelistarum, prout effata Christi de futura sua *αναστασις f)*, post resurrectionem Ejus vere consecutam intelligenda esse sibi persvaserint, interpretandi continere pericula; profiteri non veremur, quæsitam adeo & audacem nobis non placere conjecturam, argumentaque, quibus superstructa est, ejus videri indolis, ut, licet specie quadam probabilitatis sese primo commendent aspectu, violentum magis, quam fidelem reapse prædant Interpretem.

Ur-

d) Cfr. *Job. II. 19—22. Matth. XII. 39. 40. coll. XVI. 4. Luc. XI. 29—31.*

e) Cfr. *Matth. XVI. 21. coll. Marc. VIII. 31. Luc. IX. 22.; Matth. XVII. 22. 23. coll. Marc. IX. 31. 32. Luc. IX. 43—45; Matth. XX. 17—19. coll. Marc. X. 33. 34. Luc. XVIII. 31—34.*

f) Non repugnat PAULUS, Christum, ubi de fatiis suis futuris præpararet Discipulos, consolationis loco, spem ipsis fecisse suæ *resurrectionis*; sed ea re nihil aliud a Christo, quam Se post fata quoque (si res Ejus ita sese verterent, ut adversariorum succumberet telis), Discipulis cœlitus adsiturum, & causæ suæ promovendæ invigilaturum, significatum existimat. Cfr. *l. c. ad Matth. XVI. 21. XVII. 22. 23.*

Urget Rever. Vir *primo*, satis clarum esse ex Historia Evangelica, resurrectionem Christi, Apostolis plane fuisse inexpectatam neque primo rumore creditam. *Deinde* observat, Lucam & Marcum Evangelistas aperte atque ingenue confiteri g), Discipulos Christi, dicta Ejus de futura sua resurrectione minime fuisse assécutos. Subjungit *denique*, Christum, in ultimo suo cum Discipulis colloquio (Joh. XIV.), licet dolorem, quo ad supremum Doctoris sui *vale* correpti erant Apostoli, quovis modo lenire animumque ipsis addere studeat, ne verbo quidem, resurrectionis suæ corporalis (qua tamen ut brevi consecuturæ nullum dolentibus efficacius esse potuisset levamen) mentionem facere, sed omne potius solatii argumentum e beata, quæ Sibi suisque pateret, ducere immortalitate. Atque ex his invicem collatis & conjecturæ, fundamenti instar conquisitis argumentis colligere non dubitat, Christum *nullo modo*, ita *definite*, ut in Evangeliiis legimus, de resurrectione sua post tres dies *loqui potuisse*, eoque ex capite ad fidem maxime esse pronum, Evangelistas (quia ipsissima verba Salvatoris, in Sermonibus ejus annotandis, ubique expressisse vix ac ne vix quidem censendi sunt), quæ olim non intellexerant Salvatoris de resurrectione sua non-corporali effata, Christo revera resuscitato, ad reviviscentiam Ejus tertia die retulisse, sicque ex errore facillime excusando, ori

Ser-

g) Cfr. *Luc. IX. 43-45. Marc. IX. 10. 31. 32.*

Servatoris velut imposuisse, quæ nondum ediderat, Vaticinia *h*). Quod quidem eo magis probabile putat, cum evidentissima, ex suo iudicio, apud Matthæum *Cap. XII. 38. 45.* (coll. *Cap. XVI. 4. Luc. XI. 29-32.*), & Johannem *Cap. II. 19-22.* essent vestigia, utrumque horum Apostolorum, nonnisi ex falsa verborum Christi l. l. c. c. interpretatione, resurrectionem Ejus corporalem a Seipso prænuntiatam sistere. Statuit namque ad locum priorem Rever. Vir, *σημειον* illud, quod Pharisei a Christo v. 38. expetierant, *miraculi* notionem, ut vulgaris fert opinio, repugnante contextu, minime admittere, sed sine omni dubio de *signo* s. *argumento* in fidem vindicari Sibi a Christo cum Divino Spiritu commercii, esse intelligendum; *Signo* autem *Jonæ*, cui simile quoddam se (in hunc finem) præstiturum pollicitus erat Christus v. 39, similitudinem quandam inter *ωχθιμερον* Prophetæ in pisce magno, & suam in sepulcro commorationem, a Christo haudquaquam potuisse indigitari: indeque explicationem *Signi Jonæ* commate 40. occurrentem: *ὡσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κίτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας*, ex ore Christi nullo modo esse profectam *i*). Quoniam scilicet loci contextus in eo
fa-

h) Cfr. PAULUS l. c. ad *Matth. XVI. 21.*

i) Hinc versum interpolatum quoque habet BAHRDT in *de-*
comata sua *N. Testamenti* *Versione.* Berlin 1783.

fatis sit evidens, Pharifæos curationem cæci & muti (Dæmoniâci), virtute Diabolica a Christo peractam contendisse (v. 22-24.), eosdemque, ex gravi Salvatoris, quod opera πνευματος bæ ad Diabolum retulissent auctorem, reprehensione (v. 25-37.) commotos, *signum* sibi expostulasse; exinde sequi arbitrat^{ur} PAULUS, Pharifæos, hac sua petitione nullum aliud habuisse consilium, quam ut Christus certiori quodam πνευματος, ex quo egisset ageretque, *indicio* f. *argumento* (itaque non *miraculo*, quale jam ejectione Dæmonis adspexissent) dictorum faceret fidem, Christumque *signo Jonæ* a Se provocato, nonnisi comparatione inter suum & Jonæ κρηγυα instituta, *Doctrinam suam* ut optimum Divini adflatus testimonium, non vero miraculosam illam e mortuis resurrectionem, respicere. Præterquam enim quod malignosa sit, ex mente PAULI, comparatio illa inter triduanam Jonæ in pisce, & Christi in sepulcro comorationem k), planeque incredibile, Pharifæos a
 Chri-

k) PAULUS l. c. hac de re ita argumentatur: "So gewifs es chikane seyn würde, wenn jemand sagte: *Tag und Nacht*, *νυχθημερον!* darauf zu drängen, das gerade ein Tag und eine Nacht bis zur letzten Minute, nichts darüber und nichts darunter, verlossen seyn müße; ebenso würde es chikane seyn, wenn jemand *von 3. Tagen und 3. Nächten* sprach, mit einer auslegung nachhelfen zu wollen, nach welcher vom ersten Tag wohl vielleicht kaum eine volle Stunde, vom zweiten Tag und der Nacht das ganze, und vom dritten *νυχθημερον* der grös-

Christo ad futuram resurrectionis suæ miraculum fuisse delegatos, cum ex Historia Evangelica notissimum sit, Christum resuscitatum suis *solum* apparuisse amicis; ipse *Jonas*, judice PAULO, nullo alio respectu *Ninevitis* (quia miraculosam Prophetæ e faucibus piscis liberationem ex ejus tantum rescirent ore nec ipsi vidissent) esse potuit *signum* (*Luc. XI. 30.*), quam quod prædicatione sua (*κηρυγματι*), cujus ope ad meliorem frugem redierant *Ninevitæ*, Deum *significasset* sibi inspirantem. Unde sensus verborum Christi ita esset constituendus: "quemadmodum *Jonas* prædicatione sua, se Divino Spiritu imbutum confirmavit, ita Ego quoque nullum aliud Spiritus mei, quam doctrinam meam, concedam documentum." — Quoad locum vero Johanneum ponit Rever. Vir, verba Christi *λυσατε τον ναον τουτου, και εν τρισιν ημεραις εγερω αυτον*, non modo a Judæis, qui *Templum Hierosolymitanum proprie* l), verum etjam ab ipso Evangelista & ceteris Christi Discipulis, qui *Templum corporis sui* (& resurrectionem corporalem post tres dies) voluere intellectum, male esse exposita, neque aliud quidquam, quam quod Christus Se me-

te Theil der Nacht bis gegen Morgen (so berechnet J. D. MICHAËLIS ann. S. 144. den Zeitraum zwischen Jesu Tod und wiederbelebung - - -), allein, das übrige aber gar nicht dazu gehöre." &c.

l) Cfr. v. 20. cum *Matth. XXVI. 61. XXVII. 40. & 1. 1.* parall. ap. Marcum.

melio^{rem} *Templi administrationem*, si modo præsentem illam valde neglectam solvere vellent, *bravi* (intra tres dies) procuraturum perhibuerit, habere in recessu. Cum enim supra (v. 13-18.) commemoret Evangelista, Judæos, mercenariis, qui illiberalem & sacro loco inconvenientem impune exercuerant mercaturam, e Templo per Christum ejectis, *signum* quoddam, unde, quorsum hoc suum *Zeloticum* tenderet inceptum, cognoscere liceret *m*), desiderasse, Jesumque responsionis loco dixisse: *λυσάτε τον ναον τουτου κ. τ. λ.*; in scopo & serie orationis, interpretationi suæ tantum habere sibi videtur præsidium *n*),

B

ut,

m) Etiam hoc in loco *σημειον* de *signo* simpliciter (non *miraculo*) explicat PAULUS, quali *τι σημειον δεικνυεις οτι ταυτα ποιεις* idem esset ac *τι σημαινεις ημιν οτι κ. τ. λ.* "was will du uns durch diese That anzeigen."

n) Verba Ejus ita audiunt: - - - "die bedeutung: "löset einmal diese Tempelverfalsung auf; so gebe ich euch in kurtzer Zeit eine andere" palst zugleich in die ganze gedankenreiche Jesu. Wovon gieng diese aus? von einem einzelnen, ob lehrenden Beyspiel, wie nachlässig die damalige priesterliche Administration des Tempels war. Die andacht mochte immer zerrütet werden. - - - Von diesem einzelnem Beyspiel nun geht Jesus auf die frage: was soll uns diese deine That bedeuten? zu keiner antwort natürlicher über, als zu der allgemeineren: "ich wäre der Mann, euch überhaupt eine bessere Tempel-Administration zu geben, wenn ihr die gegenwärtige verdorbene aufheben woltet." Dies! dies sollte Jesu That nach einem ununterbrochenem Gedankenzusammenhang, den Judæern bedeuten."

nt, neque genio linguæ tropum hujus generis recu-
fante o), explicationem verborum Christi Johanneam
(περι του ναου της σωματος αυτης) falsam esse & Chri-
sto tandem resuscitato coortam, non vereatur con-
tendere.

Ubi vero argumenta hæcce, æqua perpendere
voluerimus lance, intellectu erit facillimum, conje-
cturam PAULI firmo satis, minime stare talo, lon-
giusque, quam fides patitur Evangelistarum, esse
progressam. Quamvis enim dissitendum non sit quod
tantopere urget Rever. Vir: resurrectionem Christi,
Discipulis suis valde fuisse inopinatam p): Eosdem,
juxta Marci & Lucæ testimonium, quæ de futura
sua Christus disseruerat resurrectione minime fuisse
afsecutos: Christumque in ultimo suo, quod Johan-
nes annotavit, cum Discipulis colloquio, ne verbo
quidem resurrectionem suam corporalem attingere;
frustra tamen inde colligere nobis videtur, Salvato-
rem nihil omnino, multo minus *definite* adeo, ut ver-
ba Ejus in Evangeliiis audiunt, de resurrectione sua
corporali post tres dies *loqui potuisse*. Quantum sci-
licet nos quidem perspicimus, e *primo* & *secundo* ar-
gumento nihil aliud consequitur, quam Apostolos
(quod

o) Quemadmodum *Ιερουσαλημ Gal. IV. 25.* de *Judaismo*
usurpatur; ita *ναος* quoque de *Administratione Templi*
commode adhiberi judicat PAULUS.

p) Cfr. PAULUS T. II, p. 521. 522.

(quod libenter concedimus), Christum non intellexisse de resurrectione sua disserentem: Cujus rei plures, haud sane leves, ut suspicamur, aderant causæ & rationes. Ut enim taceamus, resurrectionem corporalem, per se quidem cenferi potuisse incredibilem, sublimioremque illam & digniorem Messiae, quam Christus Sectatoribus suis instillare annis fuit, ideam, Apostolis, utpote vulgari Judæorum, de fractis suis rebus & imperio per Messiam restituendo, opinione infectis q), adeo non fuisse familiarem, ut ne concipere quidem sibi potuerint, Jesum Messiam dies suas morte finituum cruenta r); tanto fortassis, quoties tragicam suam præsignificaret mortem Servator, affecti erant Apostoli dolore s), ut veri videatur simillimum, vix debitam eosdem propterea vaticinio de resurrectione corporali simul adjecto adhibuisse attentionem, eoque ex argumento, nonnisi Christo tan-

B 2

dem

q) Notatu inprimis digna sunt verba Kleopæ & anonymi Apostoli *Luc. XXIV. 21.* ἡμεῖς δὲ ἐλπίζομεν, ὅτι αὐτὸς ἐστὶν ὁ μέλλων λυτρώσασθαι τὸν Ἰσραὴλ· ἀλλὰ γε σὺν πᾶσι τούτοις τρίτην ταυτὴν ἡμέραν ἀγχι σημερον, ἀφ' οὗ ταῦτα ἐγένετο.

r) Collato *Job. XII. 32—36.* cum *Luc. XVIII 34 XXIV. 26.* *Joh. XVI 16.* seqq., ut alia prætereamus loca, clare admodum patet, neque Judæos, nec Apostolos Messiam! e medio tollendum fore credidisse. Aliter vero Scripturam explicavit Christus *Luc. XVIII 31, seqq. XXIV. 46.*

s) ἐλυπηθήσαν σφοδρὰ juxta *Matth. XVII. 23.*

dem resuscitato, Dictis Ejus de *αναστασει μετα τρεις ημερας* in memoriam revocandis & intelligendis fuisse capaces t). E *tertio* autem (Joh. XIV. superstructo) argumento multo minus conficitur quod postulat PAULUS. Recte namque observant sagacissimi quique Interpretes, nonnisi fragmenta Sermonum Christi superesse, unoque Evangelista aut altero rem quandam (acta & dicta Christi spectantem) silentio prætereunte, non ideo ejusdem rei, quam reliqui narrant, tolli certitudinem; Johannem vero sæpissime, quæ a ceteris Evangelistis commemorata intellexisset, curæ non habuisse repetere. Unde itaque patet, Christum nihilo tamen minus resurrectionem suam corporalem post tres dies *potuisse* prædicere. — Quod vero statuit Rever. Vir, apud Matthæum (Cap. XII. 38-45.) & Johannem (Cap. II. 19-22.) expressa occurrere vestigia, aliam, errore utriusque, quam quæ locorum genuina sit, verbis Christi (resurrectionem Ejus corporalem minime spectantibus) affictam esse explicationem; neque illud, justum sustinebit examen. Licet enim negandum non sit, Pharisæos in

*) Petrus & Johannes Christum in sepulcro non offendentes, suspicantur tandem, Eum resurrexisse. *ουδεπω γαρ ηδεισαν την γραφην, οτι δει αυτον εκ νεκρων αναστηναι Job. XX. 8. 9.* Similiter quoque *Luc. XXIV. 6. 7.* relatum legimus, mulieres, Christum resuscitatum expertas, memores fuisse Vaticiniorum Ejus de resurrectione sua post tres dies.

in loco priori, σημειον sibi a Christo, in Spiritus Divini, cuius ope & impulsu Dæmonem a Se ejectura contendisset, testimonium, expetiisse, responsumque, quod reddiderat Christus, huic eorum petitioni accommodate esse explicandum; tantum tamen abest, ut *miraculi* notionem respuat contextus, ut contra, ex nostra sententia, eandem videatur exposcere. Perpendentibus scilicet nobis, Judæos miraculis a Christo exigendis fuisse promptissimos u), Christumque nullo pacto Phariseos, nisi per το: σημειον *miraculum* intellexissent, graviter adeo, ut v. 39. factum comperimus, *potuisse* reprehendere v); Lucam vero Evangelistam, in loco parall. C. XI. 16. seqq. x), diferte admodum testari, Phariseos a Christo σημειον sibi expetiisse ἐξ αυτων; omnis fere sublata esse videtur dubitatio, Phariseos, utpote portentosa Dæmoniaci curatione minime contentos, *novum* quod-

dam

- u) Jam suo ævo Prophetæ, miraculis Divinam suam vindicarent missionem. Messias vero, ex opinione Judæorum, *signis* suis & *miraculis* multo esse debuit celebrior. Hinc frequenter adeo, ut passim narrant Evangelistæ, miracula a Christo expetunt Judæi.
- v) Sæpius exprobrat Christus Judæis, quod *signis* inhiarent & miraculis: atque eodem quoque spectare videntur verba: γενεα πονερα και μοιχαλις σημειον επιζητει κ. τ. λ.
- x) Cfr. quoque Matth. XVI. 1—4, coll. Marc. VIII. 11., quibus in locis, Judæis signum e caelo petentibus, idem illud *Jona signum*, de quo jam est sermo, a Christo provocatur.

dam & *exstantius*, de coelo nimirum *y*), desiderasse phænomenon, Christumque proinde, ad *signum Jonæ* *z*) eosdem, comparatione inter suum in sepulcro & Jonæ in ventre piscis commorationem instituta *aa*), delegantem *bb*), miraculosam e mortuis resurre-

y) Tale ex. gr. quale Moïsis erat miraculum, cum mannam e coelo devocasset. Cfr. *Job. VI* 30. 31.

z) Non adeo malitiosa est, ut PAULUS judicat, comparatio illa inter triduanum Jonæ in pisce & Christi in sepulcro *υχθινερον*. Plurima enim suadent Veteris & Novi Testamenti loca, de parte tantum diei naturalis haud raro adhiberi *υχθινερον*. Exemplo sit *Esteræ C. IV.* 16. coll. *V.* 1. seqq. *Matth. XVII.* 1 coll. *Luc. IX.* 28. Atque idem quoque tentantur Scriptores Talmudici, cfr. *LIGHTFOOT Hor. Hebr. & Talm. ad Matth. XII.* 40. Usui itaque non repugnat loquendi, quando statuitur, Christum in sepulcro jacuisse per triduum, licet nonnisi duas noctes & unum diem revera latuerit.

aa) Concedimus PAULO, admirandam Jonæ in monstro ponti commorationem, accurate loquendo, *Ninevitis*, qui ipsis suis oculis Prophetam exinde prodeuntem non aspexissent, *per se* non fuisse *miraculum*: sed inde non sequitur, *σημερον Ιωνα* ad *υχθινερον* Ejus solummodo esse referendum. Fama namque eventus prodigiosissimi percussit *Ninevitæ*, eam *non videntes*, sicut declamationibus Jonæ facere poterant, haud secus ac innumeri suo tempore Judæi & Gentiles, qui, miraculis Christi auditis tantum, avidè Ejus nihilo tamen minus amplectebantur Doctrinam.

bb) E terrestri & præsentì, ad sublimius (suo tempore venturum) miraculum calumniatores suos iniquos fortiter

rectionem respicere. — Ad locum vero quod attinet Johanneum, persuadere nobis non possumus, interpretationem PAULI, quamvis ingeniosam, propterea esse admittendam. Concedente enim Rever. Viro, allegoricam Evangelistæ verborum Christi *λυσατε τον ναον τουτου* &c. explicationem, (Christum scilicet *περι του σωματος αυτου* locutum fuisse, eoque ipso miraculosam suam e mortuis resurrectionem voluisse præsignificatam), usui loquendi Novi Testamenti per se non esse repugnantem *cc*); nihil omnino impedire nobis videtur, quin Johannea, seriei orationis minime adversa, acquiescendum sit interpretatione. Patet namque ex *Matth. XVI. 1.*, phrasin *σημειον δεικνυειν*, non idem esse ac *σημαινειν*, ut frustra statuit PAULUS; sed recte omnino de potestate *miraculum edendi* adhiberi.

Cer-

eoque velut abstrahit consilio Christus, ut olim, quum eveniret, ad stuporem atque silentium eos raperet omnes. Quod etjam docente Historia Sacra factum est. Nihil enim Pharisei, contra Apostolorum de Christo in vitam reduce obtestationibus, valere objicere. Quod vero Christus, reportata de morte victoria, Phariseis re vera non apparuerit, adeo non refert, ut potius maxima Salvatoris in eo quidem admiranda sit prudentia. Cfr. *LESS Wabr. d. Christl. Rel.*

cc) Vocantur nempe Christiani *I. Cor. III. 16. 17. II. Cor. VI. 16. Ephes. II. 21. ναος τε θεε, & corpus eorum I. Cor. VI. 19. ναος τε εν αυτοις) αγιε πνευματος.*

Certo itaque credimus, Salvatorem nostrum, suam re vera prædixisse post tres dies resurrectionem. Sed quæritur — atque hanc quidem quæstionem superrime agitatum audivimus — an non ad Judaicas opiniones adcomodate, solam *animam*, hac fortassis prædictione respexerit Christus? Cum enim Scriptores testentur Judaici, animam hominis, juxta Pneumatologiam Veterum Judæorum, nonnisi *triduo* post mortem, e Sepulcro (cui mox post obitum committebantur *dd*) mortui) in locum avolare promeritum *ee*), Ipseque Christus, in disputatione cum

Sad-

dd Causam, cur Judæi mox ante primam noctem mortuos efferant, explicat EISENMENGER (*Entd. Judenth.*) P. I. p. 279. Et ne suspensio quidem permilla erat pernoctatio in ligno sine sepulchro, juxta *Deut. XXI. 23.*

ee) Hieros. Moed Katon fol 82. col 2. ita habet: '*anima per triduum corpus circumvolat animo revertendi; post-hæc, conspiciens immutatum cultum avolat.*' Beresbit Rabba vero fol 144 5. ubi: '*Traditio ben Kaphra: summus vigor lucis non est nisi die tertio. Tribus diebus anima vagatur circa sepulchrum, expectans ut redeat in corpus. Cum vero videt, quod immutatur aspectus faciei, recedit, & r linquit corpus.*' Atque his etiam alii Auctores Judaici (quos omnes recensere nimis longum esset) adstripiuntur. Imo Hoseas C. VI. 2. verbis: '*Vivificabit nos post duas dies, tertia die resuscitabit nos*' (sicet de tercio Jovæ post paucos dies auxilio intelligenda sint) ad communem Judæorum, de animæ in sepulchro per tres dies commoratione, sententiam, videtur respicere,

Sadducæis *Matth. XXII. 23-33.* (coll. *Marc. XII. 18-28.* & *Luc. XX. 27-39.*), haud obscure resurrectionem mortuorum ad immortalem tantum restringat animam *ff*); omni haudquaquam probabilitatis specie destituta videretur conjectura, Christum ad hancce præjudicatam popularium suorum alluisse opinionem. At vero multo convenientiorem & aptiorem, sensum verborum Christi propheticorum aperiendi clavem subministrant Evangelia. Uno namque quasi ore confirmantibus Evangelistis, Servatorem nostrum Sanctissimum, tertia die, ex quo in nostram sese devovisset salutem, in vitam fuisse revocatum, neque solum Discipulis suis, verum aliis quoque bene multis hominibus vivum, eodem quo antea corpore conspicuum, per totos *quadraginta* apparuisse dies *gg*); nulla nobis adesse videtur ansa dubitandi, quin sæpius commemorata Christi de resurrectione sua post tres dies vaticinia, ad *corporalem* Ejus reviviscenciam merito, nisi omnem Evangelii derogare voluerimus fidem, sint referenda. *Ει δε Χριστος ουκ εγνεστο, ματαια η πισις hh*).

C

ff) Subtili certe argumentatione Christus I. I. c. c. Sadducæorum objectione sese expedivit; Cave tamen ad rigorem exigas logicum.

gg) *Act. I. 3.*

hh) *I. Cor. XV. 16.*
